

« nominat penam malorum, deinde vitam bonorum, ut primam quæ timoris sunt, evitemus mala, postea quæ honoris sunt, appetamus bona. »

2. — Cajetanus quando ad horum verborum expositionem pervenit, ita scribit : « Siste prudens lector et nota in tribus documentis hujus capituli, damnari in inferno tria genera omissionum; » etenim in hoc capite, e quo præsens Evangelium desumptum fuit, antecederet parabola decem virginum ponitur, deinde de quinque talentis, ab abituriente Domino, servis suis ad fœnus elocatis, ac demum tertio loco, processus sit ad finale iudicium : « In parabola virginum, damnantur imparati ex omissione interni testimonii; in parabola talentorum damnantur pusillanimes, ex omisso usu divinorum donorum; hic autem damnantur omittentes opera misericordiæ christianæ. Quid cum illis agat æternus Iudex, qui commisionem malorum operum peccaverunt, si illi damnantur, qui omiserunt bona opera. »

Ibunt.

3. — « Non sponte, sed coacti; » inquit Lucas Brugensis, « terra enim dehiscente et ibunt, et cadent, et projicientur; » idem quoque Abulensis q. cccxxi scribit, dum ait : « Divina potentia aperietur terra, fietque usque ad orbem hiatus magnus, per quem ibunt, postea claudetur. »

4. — In hac prædicatione, quam Deus adeo anticipat fecit, adimpletur, quod de ejus misericordia, Tob., iii, 13, scribitur : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*; etenim ut bene Lucas Brugensis ait : « Huic justitiæ Dei observa clementiam summam conjunctam omnino servare homines volentis et minime perdere, si enim perdere vellet, non ante tot secula præmoneret iudicii sui et æternorum suppliciorum; » siquidem ut advertit S. Augustinus, *Serm. de Sen.* : « Non te vult percutere, qui tibi clamat : observa. Invitus vindicat, qui quomodo evadere possimus, multo ante demonstrat. »

In supplicium æternum.

5. — « Æternam nominat penam, » inquit Origenes, *ibid.*, « ut vitemus mala et appetamus bona; » etenim cogitatio et memoria æternitatis, frenum est peccati et ad virtutum exercitium prosequen-

dum stimulus et calcar. *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus, Hab.*, iii, 6; id est, quotquot in hoc mundo prosperantur, ideoque per fastum et superbiam in sublime inaniter superextolluntur, subito humiliantur; omnemque fastum deponentes, divinæ se legi subjiciunt, quando sese ad pauca hæc verba reflectunt.

6. — Querit hoc loco S. Thomas, qua ratione divina justitia salvetur, dum peccatum, quod a nobis temporaliter committitur, a Deo pœna æterna castigatur; eandem quoque questionem alibi movet et scribit : « In suo delicto æternum peccasse dicitur homo, non solum ob continuationem actus in tota vita, verum etiam hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habuit in æternum peccandi, » id quod consonat cum eo, quod S. Gregorius ait, nimirum quod Deus oculum suum ad cor et voluntatem nostram, non vero ad actionem hominis externam, directum habeat : « Voluissent utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare; ostendunt, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinant peccare, dum vivunt; ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam carere supplicio, qui in hac vita nunquam carere voluerunt peccato. »

7. — Secunda ratio, quam S. Thomas in Summa sua assignat, est, quia per peccatum infinite majestatis objectum ostenditur. « Infinite majestatis et honoris Deus; solum, summum æternumque bonum; et finis ultimus hominum, quo impie rejecto vilis peccator, creaturis ipsius audet inherere, luce meridiana clarius evadit, juste puniri supplicio æterno, qui offendere non veretur Deum æternum. »

8. — S. Augustinus, *lib. XXI de Civit. Dei*, ait : « Factus est homo malo dignus æterno, qui in se premit bonum, quod esse posset æternum. »

9. — Aliam quoque rationem S. Thomas, super Mattheum scribens, adducit, estque S. Hilarii dicentis : « Culpæ debetur pœna, sed culpa non deletur nisi per charitatem; ergo quandiu homo non habet charitatem, justum est, quod semper sit in pœna. » In barathrum illud æternæ perditionis nec amor Dei, nec divina gratia penetrabit in æternum et consequenter cum culpa semper viva remaneat, pœna quoque sempiterna sit, necessum est.

FERIA TERTIA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXI, VERS. 10

10. Cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?
11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ.
12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.
13. Et dixit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.
14. Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo, et sanavit eos.
15. Videntes autem Principes Sacerdotum et Scribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei :
16. Audi quid isti dicunt? Jesus enim dixit eis : Utiq;e, nunquam legis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?
17. Et relictis illis, exiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.

VERSUS 10.

Cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?

1. — Hic ingressus idem est cum eo, quo in triumpho Palmarum, urbem Jerosolymam ingressus fuit, acciditque quinque diebus ante Pascha, in quo eum crucifixerunt. Rabanus ait : « Notanda concordia non solum in rebus, sed etiam in temporibus Veteris et Novi Testamenti; decima enim die mensis primi, Agnus, qui in Pascha immolaretur, domum introduci jussus est. » Hic autem Agnus Jerosolymam ingressus est, ut tempore congruo sacrificaretur, ut Glossa his verbis advertit : « Appropinquante Passionis tempore, appropinquavit Jesus loco, ubi posset inveniri, ostendens se non invitum pati. »

Commota est universa civitas.

2. — Porro acclamationes, quas totus hic numerosus populus, qui eum sequebatur, faciebat, prout Cajetanus observat, in descensu montis Oliveti incepserunt et quanto propinquius civitatem accedebant, tanto magis devotarum turbarum numerus crescendo augebatur : « Volavit fama per civitatem; excitantur universorum animi ob hanc novitatem. »

3. — Enimvero Hebræi, ut Jansenius advertit, evidentissimam Zachariæ prophetiam, ix, 9, relatum, in qua hic Christi triumphus prædicitur, dissimulassent; ecce tibi, universæ hujus tam vastæ civitatis commotio et admiratio illam eis exprobrasset et ad memoriam revocasset.

4. — Principes quidem synagogæ, Sacerdotes, Pontifices, Scribæ et ministri Cæsaris, triumphum

hunc spectarunt, audierunt voces populares, quibus ipsi, tanquam vero Israelis Regi, gloriose acclamabatur, imo toti huic comitatu et commotioni, tanquam spectatores presentes aderant, nec tamen constat, quod eidem se opponere præsumperint, multo minus, quo illum, tanquam læsæ majestatis reum accusarint, sed potius illis, ei tanquam novo Regi applaudentibus, consenserunt. Unde Lucas Brugensis ait : « Nisi adfuit Dei virtus et in illo contemptibilem carnis habuit, conspicua fuisset spiritus Majestatis, quæ attonitos reddidisset, quomodo passi fuissent suo magno periculo, Jesum Regem excipere et in urbem regiam, regia pompa palam induci? »

Dicens : Quis est hic?

5. — Verum enimvero qua ratione, eum tanquam peregrinum se non agnosceret, quis sit, simulare poterunt, quem frequentissime, et viderant, et predicantem in templo auscultarant? Potest esse, quod aliqui id ex contemptu dixerint, dum eum invidis oculis, tanto cum applausu recipi et honorari viderunt. Sic enim Pharaos, *Exod.*, v, 2, quoque dixit : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus et dimittam Israel? Nescio Dominum.* « Non quod non novissent, » inquit Lucas Brugensis, « sed quod a livore adustus, crepantesque invidia, indignum a dicere vellent et honore. » Et quidem quod invidiæ stimulus erga ipsum fuerint exagitati, satis manifeste ex illo concilio deducitur, quod tunc adversus illum congregarant, *Joun.*, xi, 47, in quo dicunt : *Quia facimus? quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. In Ecclesiastico, xii, 29, dicitur : Pauper locutus est et omnes dicunt : Quis est hic? Albertus Magnus ait :*

« Devoti dixerunt hoc admirative : *Quis est hic, qui venit et mare obediunt ei?* Simpliciter dixerunt « hoc, ignorando. » Dionysius Carthusianus, postquam totius Jerosolymæ commotionem ponderasset his verbis : « Commota est admiratione, indignatione, « dubitatione, » paulo post interrogationem civitatis hoc modo distinguit : « *Quis est hic, cui tantos « honor impenditur; hoc quidam indignando, qui- « dam dubitando et inquirendo, quidam admi- « rando, dixerunt.* » Similiter potest esse, quod clamantium voces e longinquo audientes, populi que ingentem comitatum videntes, nec tamen triumphum, postea demum subsecutum conspicientes, ex rei novitate permoti interrogarint : *Quis est hic?* Salmeron ait : « Querebant a turba præcedentes, « *quis est hic?* quia nondum videbant Jesum. » Albertus Magnus ait : « Tali autem confusione exis- « tente in turba, asina instruit Prophetam, Num., « *xiii, 28, hoc est simplex et humilis plebeola, « Doctores et Pontifices.*

VERSUS 11.

Populi autem dicebant : Hic est Jesus, Propheta a Nazareth Galilææ.

1. — Dionysius Carthusianus, Deum in hoc facto denotare voluisse dicit, verissimum esse, quod *infirmam, abjectam et stultam elegit, ut confundat fortes et sapientes*; etenim Scribæ, Sacerdotes et tot alii eruditissimi legis Doctores, Dei Filium minime agnoscerunt, cum tamen simplices idiotæ et infirmi populares, eo quod ipsi devoti ipsius erant, ideoque ipsum ingenti cum fervore sequebantur, protenso veluti digito distincte eundem demonstrarent, adeoque adimpletum est, quod ipsemet Redemptor dicit ante ad æternum Patrem suum conversus, prædixit, *Matth., xi, 25, dum ait : Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis, pariterque in eadem occasione adimpletum fuisse videtur illud oraculum Sapientis, Prov., viii, 1 : Numquid non sapientia clamitat et dat vocem suam.* Quibus enim putas increata illa incarnata Sapientia, in predicatione sua, suisque miraculis, luminis et notitie sue gratiam communicabat? num forte Scribis, Pharisæis? num forte alicui Platoni, vel Demostheni, aut eorumdem discipulis? Minime gentium, sed *intelligere parvuli et insipientes animadvertite.*

2. — Notandum quoque est, quantopere hi populi a Deo illuminati fuerint, siquidem in parvulis hisce, sed valde mysticis verbis, instar sublimium, doctissimorumque theologorum, fuere locuti, prout per singulas illius propositionis particulas discurrunt magis perspicue patebit. Elenim verbum *hic* semper est articulus demonstrativus rei alicujus permagnæ, *Baruch., ii, 15 : Hic est Deus noster. Matth., ii, 17 : Hic est Filius meus dilectus, Luc., i, 45. Hic erit magnus, Joan., vi, 43. Hic est*

vere Propheta, qui venturus est in mundum. Dicitio est, divine est essentie indicativa, *Exod., iii, 14 : Ego sum qui sum; qui est misit me ad vos.* Dicitio *Jesum* conformis est oraculo, *Luc., i, 31 : Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salutum faciet populum suum a peccatis eorum.* In dictione *Propheta*, magnum illum in *Deuter., xviii, 15, promissum Prophetam* intelligebant, de quo dicitur : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Nazareth appellat, ad illam de Christo factam predicationem, Matth., ii, 23 : Nazareus vocabitur.*

VERSUS 12.

Et intravit Jesus in templum Dei et ejiciebat omnes ementes et vendentes in templo et mensas numulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.

Et intravit Jesus in templum Dei.

1. — Primum, quod Jesus, Jerosolymam ingressus fecit, fuit, quod templum adierit : « Formam « religionis, quam sequamur, nobis demonstravit, » inquit S. Anselmus, « ut quocumque venerimus, « domum orationis, si ibi est, primum adeamus et « per orationem Deo commendati, sic ad agenda « negotia securus accedamus. » Hæc vero aliam inde doctrinam moralem deducit : « Nos informans, « ut in omni loco religionis divine, studium ora- « tionis omnibus terrenis negotiis proponamus. »

2. — Lucas Brugensis, Christum æterno Patri suo gratias egisse censet, pro fide et religione, quam devotæ ille turbæ ei exhibuerant, quando illi veluti vero Messie acclamaverunt, quodque ei vicinum humanæ redemptionis exitum recommendarint, utpote cujus causa, tunc Jerosolymam ingressus fuerat. S. Thomas ait : « Statim venit ad « templum, quia venerat ut hostia immolanda, ideo « primo venit ad locum immolationis. »

3. — Advertendum est autem, quod populus ipsum Regem, regni que Davidici successorem proclamavit; unde juxta styllum mundi et humanam politicam, in fortissimi cujusdam fortaliti, et quo regnum Davidis sibi firmiter stabilire posset, possessionem immittendus esse videbatur; maxime cum Archangelus virginæ ejus Matri prædixerit, *Luc., i, 32 : Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus et regnabit; protestatus fuit dicens : Regnum meum non est de hoc mundo;* etenim regnum Davidis, Ecclesie stabilimentum, nec non celestis Jerosolymæ restaurationem respiciebat.

4. — Jansenius ad gloriam, honores et obsequia Christo ab universo populo, in conspectu totius civitatis exhibita, sese relictis, miraturque, quod Christus nihilominus, mox ut in civitatem venit, templum subito ingressus fuerit : « Demonstrans, « se aliud non querere quam Dei Patris sui glo-

riam, cui Pharisei calumniabantur, ipsum esse « contrarium; nos docens, ante omnia querendum « esse regnum Dei. »

5. — S. Anselmus aliam affert rationem; dicit enim, *Hom. xxxviii, quod* Christus, ut S. Lucas scribit, primo amare super Jerusalem flevit, ejus prævidendo et prædicando desolationem : « Deinde « templum ingressus, cepit ejicere vendentes, ut « causam destructionis civitatis, ex iniquitate Sa- « cerdotum maxime pendere ostenderet. »

6. — Auctor Imperfecti, ut mentem suam nobis explicet, similitudine utitur cujusdam Medici, qui infirmitatem curaturus, radicem et originem illius extirpare satagit : « Sicut igitur de templo omne « bonum egreditur, sic et de templo omne malum « procedit, » quia si sacerdotes scandalosi sint, omnes quoque alii, mala eorumdem soentantur exempla. Medicus infirmum visitando, ex eo communiter querere solet : *Quæ est conditio stomachi tui?* « Quia si stomachus sanus fuerit, totum « corpus validum erit; si dissipatus, totum corpus « infirmum erit; ita si sacerdotum integrum fue- « rit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum, om- « nium fides marcescit, cor autem et stomachus, « sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritali- « bus, per eos totus populus gubernatur. »

Et ejiciebat omnes ementes et vendentes.

7. — Tametsi omnia ea, que in templo emebantur vendebanturque, talia fuerint, que oblationes et sacrificia Deo offerenda spectabant, attamen ut S. Thomas observat : « Dominus non reprehendebat « oblationem, sed cupiditatem illorum. » Sacerdos enim, quia oblationes illas in suam utilitatem cedere sciebant, ideo ne aliqui, maxime peregrini et externi, victimarum reperindarum defectu, se ab oblationibus faciendis excusare possent, illi easdem, licet in ipsorum denuo possessionem, per factam oblationem, redirent, caro satis pretio, nomine suo vendi faciebant et ne aliquis ob actualem pecunie carentiam ab iisdem victimis emendis excusare se posset, in promptu semper alios habebant, qui multo, sed sub usuram illis easdem divenderent. Que avaritia et immoderata cupiditas non solum reprehensionem, sed et supplicium mercebatur; id quod Christus pariter non obscure insinuat, quando in templo ementes et vendentes, bina vice e templo pepulit, e quibus, quod in presenti Evangelio relegendi, secunda vice contigit. Unde idem S. Thomas citat S. Augustinum, dicentem : « Bis factum est istud miraculum, ideo magis sunt culpa- « biles, cum alias reprehensi fuissent. »

8. — Salmeron dicit; quod non obstante, quod Salvator noster adeo mitis fuerit, nihilominus in hæc sola occasione, se magnopere indignatione commotum ostenderit, quia : « In solam avaritiam se- « vit Christus, et ostendit zelum suum, quia

« proculdubio ablata avaritia de medio Ecclesie, « est reformata, nulla enim pestis gravius nocet; » sine dubio enim Jerosolymæ, multæ alia commitebantur iniquitates peccatorum carnalium, extorsionum, homicidiorum, adulteriorum, sacrilegiorum, variarumque aliarum abominacionum, et tamen in hæc sacerdotum avaritia, zelum suum singulariter ostendebat. Idem quoque doctissimus Auctor ait : « Incepit a sanctuario, ut admoneat, que proprius « concernunt gloriam Dei, ante omnia esse repu- « ganda. » Guericus Abbas, *Serm. iii in rom.,* dicit, quod tametsi jam certum esset, quod per hoc factum, ad necem sibi inferendam sacerdotum contra se odium excitaturus esset, nihilominus : « Fla- « gello facto de funiculis, vindicavit injurias Patris, « magis eligens furorem sacerdotum, in necem « suam provocare, quam in templi profanationem « dissimulare. »

9. — Voluit insuper, ut intelligeremus, ut S. Thomas docet, *in Matth., quod : « Unusquisque a « templum Dei, » I Cor., iii, 16 : « Nescitis, quia « templum Dei estis vos? Unde debet unusquisque a « se expellere emptionem et venditionem, ut non « serviat Deo propter divitias. » Nemo ita agilis est servus qui duobus simul inservire possit, juxta dictum Evangelicum : *Non potestis servire Deo et mammonæ;* id quod in clericis vel maxime verum est, quia : *Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus.* Auctor Imperfecti, *Hom. xxx,* causam hujus a Christo inflictæ punitiois assignans, ita scribit : « Significans, quia homo mercator vix aut nun- « quam potest Deo placere, dicente Propheta, *Psal. « lxx, 15 : Quia non cognovi negotiationem, introibo « in potentibus Domini, » ac proinde S. Hieronymus in hæc verba ita scribit : « Non sit in domo peto- « ris nostri negotiatio, non ementium, vendentium- « que commercia, non domorum cupiditas, ne « ingreditur Jesus iratus et rigidus, et non aliter « mundet templum suum, nisi flagello adhibito. »**

10. — Theophylactus putat, quod, quia Filius Dei paulo post, æterno Patri suo velut sacrificium, in altari crucis offerendus erat, ideo omnia alia sacrificia consequenter necessario fuerint abroganda. Et ideo ejecit ementes et vendentes victimas. « Translationem sacrificiorum significans, eo quod « ejicendo boves et columbas, præsignavit, non « ultra opus esse, animalium sacrificio et immola- « tione, sed oratione. »

11. — Idem Auctor quoque dicit : « Tanquam « Dominus domus, hoc est, templi, ejecit vendentes, « ostendens, ea que Patris sunt, et sua esse. » Et ideo prima vice dixit : *Zelus domus tue comedit me.* Secunda autem vice, tametsi ne verbum in ordine ad Patrem dixerit, attamen protestatus est, dicens : *Domus mea, domus orationis.*

12. — Porro sciendum est, quod ut ex Evangelio S. Lucæ, xix, in quo idem Christi describitur

triphus, constat Dominus noster paulo ante, mane scilicet, Ierosolymam futuram destructionem deliquerit: *Videns civitatem, flevit super illam*; primum vero, quod Iesus Ierosolymam ingressus fecit, fuit hæc sacerdotibus, victimas vendentibus, inflata Dei vindicta, quasi tacitus dicere voluisset, peccata clericorum et præcipue avaritiam, causam esse principalem ruinæ civitatum. Unde in Jeremia, vi, 13, primo quidem dicitur: *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student*, videturque illius causam immediate subjungere velle, dum ait: *A propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum*. De eisdem ipse quoque Deus apud Ezechielem, xiii, 19, lamentatur hisce verbis: *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis*; moxque subdit atroces, quas comminatur illis, jure debitas penas. Porro S. Marcus et S. Lucas scribunt: *Cœpit ejicere*. S. Mattheus autem dicit: *Ejiciebat*; cujus diversitatis mysterium Salmeron hisce verbis pulchre declarat, dum ait: « Quia quod tunc cœpit, postea prosecutus est per Romanos, nunc etiam « prosequitur, ejiciendo malos ministros de templo « Ecclesie, primum a gratia Dei, deinde ab obedientia et reverentia populorum, tertio interdum « per mortem repentinam ac violentam, postremo « per secundam mortem gehennæ. »

13. — S. Hieronymus hoc Christi facinus, inter præcipua omnipotentis et auctoritatis Christi portenta atque prodigia recenset. Sunt enim, inquit S. hic Doctor qui Lazari resurrectionem, maximum Christi miraculum fuisse censuerunt, alii tale esse censuerunt, illuminationis cæci nati miraculum; alii tunc illud patratum fuisse censet, quando supra Jordanem aperti sunt cœli et vox Patris audita est: *Hic est Filius meus*; nec non, quod in monte Thabor visum fuit, quando lominosus et gloriosus apparuit: « *Mihi autem,* » inquit, « inter omnia signa « quæ fecit, hoc videtur mirabilis esse, quod unus « homo, et illo tempore contemplabilis, et in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis et « Pharisæis contra se sævientibus et videtibus « lucra destrui sua, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem, mensasque « subvertere et cathedras confringere et alia facere, « quæ infinitus non fecisset exercitus; » unde concludit, id inde profectum esse, quia ex vultu Christi, nescio quid magnifici et divini fulgoris emicabat: « *Ignem quippe atque sydereum radia- « bat ex oculis ejus et divinitatis majestas lucebat « in facie.* »

Et mensas nummulariorum.

14. — S. Anselmus ait: « Mense istæ altaria « significant, nummularii sacerdotes, qui nummis « plus quam divino servitio sunt intenti; altaria « evertit, dum ea multoties occulto judicio everti « permittit. » S. Ambrosius, quo fine illos pepule-

rit, hisce verbis exponit: « Christus de templo ejiciebat nummularios, quia ipse volebat intrare; » quasi vellet dicere, quod, quotiescumque avaritia occupavit cor nostrum, Christus in eodem habere non possit aditum; cujus ratio hæc esse potest, quia avaritia *idolorum servitio* nuncupatur; uno autem eodemque tempore, in eodem loco Arca et Dagon commorari nequeunt.

15. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Nummularii « dici possunt diaconi, quibus datur administratio « temporalium, ut habetur, *Aet.*, vi. Unde cum « officium dispensationis relinqueret ad quæstum, « debent ejici de Ecclesia. »

16. — S. Antonius de Padua per hæc mensas, opera bona intelligit, quibus, ob terrena lucra comparanda operam damus: « Mensa mercatorum est « fiducia commodi temporalis: ab hoc jejunas, ut « Deus dirigat meritationes tuas. »

Et cathedras vendentium columbas.

17. — Origenes optime considerat, tria fuisse horum profanatorum genera, aliqui enim in ea vendebant et emebant, neque de oratione, in domo Dei facienda, quidquam cogitabant et hi denotant illos Christi fideles, qui in Ecclesia, bonis terrenis nimium immersi, nil præter sæcularia et profana loquuntur et cogitant; alii sunt nummularii, quorum mensas Christus evertit, qui significant illos, qui bona Ecclesiastica minus recte administrando, sed ex substantiis, quæ inter pauperes distribuere debebant, sese divites et locupletes efficiunt. Tertii denique Episcopos designant, qui Ecclesiarum regimen, minus dignis, idque minime merentibus committunt, et hi sunt, qui columbas, id est, gratiam Spiritus Sancti vendunt; quorum etiam cathedras in terram dejectas subvertit.

18. — S. Anselmus, in *Matth.*, ait: « Columba « venditur, cum manus impositio, per quam Spiritus « Sanctus accipitur, ad pretium præbetur. » Adducitque S. Gregorii auctoritatem, plura pretiorum genera distinguens: « Aliud a manu, aliud a lingua, aliud ab officio. Munus a manu pecunia; « munus a lingua favor; munus ab officio servitium; qui autem Spiritus Sancti dona alieni « propter aliquod horum tribuit, pretium de « columbis accipit. » Eiusdem quoque mentis S. Hilarius fuit, dum ita scribit: « Eorum, qui Sancti « Spiritus donum venale habent, cathedras evertit, « quibus ministerium a Deo commissum, negotiatum « est. »

19. — Auctor Imperfecti, Christum eos, qui columbas vendebant, ejiciendo, dicere voluisse existimat: « Quid faciunt in templo multæ columbæ « venales, ex quo una columba descendit in templum corporis mei, id est, Spiritus Sanctus replevit Ecclesiam meam? Non enim in sacrificio « columbarum postmodum placitum est Dei tem-

plum, id est, Ecclesia, sed in Spiritu Sancto. Dixi enim vobis per prophetam, *Psal.* xlii, 9, 14: « *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, immola Deo sacrificium laudis.* »

Evertit.

20. — Verbum istud, *Evertit*, occultam consideratione dignissimum est, siquidem Salvatore nostro ementes et vendentes, usurarios, simoniacos et omnes alios e templo pepulisse minime sufficiebat, nisi etiam omnia instrumenta, quibus ad fomentum utebantur avaritiæ, susque deque evertisset, ad denotandum nobis, quod peccatum e medio sustulisse minime sufficit, nisi etiam occasio illius et omne id, quod ad relapsum viam sternere potest, e medio tollatur. Unde Cajetanus ait: « Non deditur manibus propriis Iesus hæc evertere, « evertit autem, ut monstraret, non esse redeundum ad hujusmodi illic negotia exercenda. »

21. — Salmeron ait: « Subvertit cathedras « vendentium, quia magistrorum dignitas ad nihilum redigitur, cum fuerit permixta lucris. »

22. — Quodsi vero per templum Dei, hoc nostrum corpus intelligatur, dicente Apostolo, *II Cor.*, vi, 19: *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, jam per alium ejusdem Apostoli textum, certum est, quod Deus templum hoc mysticum disperditurus sit, si fuerit profanatum. Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

VERSUS 13.

Et dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Domus mea domus orationis vocabitur.

1. — Paulus de Palatio dicit, quod, ex quo præsens hic mundus vera quædam sit vallis lachrymarum: « *Locus horroris et vastæ solitudinis; terra « deserta, invia et iniqua;* » his malis Dominus pro- « vidit unicum remedium, domum orationis. » S. Joannes in Ierosolyma cœlesti, quaqua verum curiose circumspiciendo, *Apoc.*, xxi, 32, templum nullum vidit: *Non vidit templum in ea;* cujus hæc potest esse ratio, quia ad templa tunc præcipue recurrere solemus, cum gravibus quibusdam necessitatibus angustiamur, ut pro iisdem deprecandis, Deo ibidem supplicationes et sacrificia nostra offeramus; in superna vero Ierosolyma, status quidam erit imperturbabilis felicitatis. Verumtamen S. Nilus nos hortatur, dicens: « Ecclesiam ut cœlum adi, » addit vero: « Et nihil in ea aut loquere, aut age, « quod terram sapiat; » unde et oratio definitur, quod sit: « Elevatio mentis in Deum; » et ideo si nobis possibile foret, corpus foris relinquere et cum sola anima et spiritu Ecclesiam intrare, utique hoc

modo dignum in eo aditum habituri essemus. Enimvero tametsi verissimum sit, quod Christus Samaritanæ dixit, nimirum: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitur; quasi dicere vellet: quovis in loco, oratio fructuosa, Deoque grata effundi poterit; nihilominus, ut idem Palatius optime notat, longe fructuosior illa est, quæ in domo Dei consecrata effunditur: « Si sint « reliqua paria; merito enim Christus dicit, se « inveniri in his, quæ Patris sui sunt, quasi dicit: « si vis invenire, in templum ascende, ibi me reperies; in Ecclesia Christus adest, in Eucharistia « latens, adest et Christi crux, adest aqua benedicta, et « reliquæ, et imagines, adest aqua benedicta, et « reliqua sacra: ubi hæc sunt minor est diablo de « nobis triumphandi facultas, major est divina par- « ticipandi potestas. »*

Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

2. — S. Anselmus, Christum ideo sacerdotibus exprobrasse dicit, quod domum Dei in speluncam latronum redegerint, quia interioris sacerdotum fines, per quos dirigebantur, cognoscebat: « Ad hoc « in templo assistere noverat, ut aut non dantes « munera, studerent corporaliter persequi, aut « dantes spiritualiter necare. » In speluncis banditorum et latronum, sanguis humanus ex omni parte conspersus videtur, variaeque occisorum cadavera conspiciuntur. « In speluncis enim latronum « fiunt maculationes, » inquit Theophylactus, « et « sanguinis effusiones. » Quot cheu strages mali sacerdotes et Ecclesiastici scandalosi in templis institunt, non quidem corporum, sed, quod deterius est, animarum? Unde Albertus Magnus, in *Matth.*, ait: « Sacerdotes insidiantes rebus hominum, in insidiis doli stabant, non differentes a latronibus, nisi majori nocimento, quia interficiunt animas, latrones corpora. »

3. — Spelunca latronibus ad hoc præcipue deservit, ut in eamdem, velut in locum securum, spolia et alias viatoribus violenter creptas prædas inferant. Eodem modo scribit, in *Matth.*, S. Hieronymus: « Templum Domini in latronum convertit « specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque « ejus non tam cultus Dei quam negotiationis « occasio est. » Hæc præda ab assassinis coærcervata non pertinet proprietarie ad ipsos, sed rapina quædam est et bonum alienum; Ecclesiastici, qui ex motivo avaritiæ, redditus suos accumulunt, latrones nominari possunt, siquidem id quod possident, non est bonum illorum proprium, sed patrimonium est pauperum. Unde celestis valde est illa S. Bernardi, *Ep.*, ii, sententia: « Quidquid præter necessarium « victum, et simplicem vestitum, de altari retinet, « tunc non est, rapina est, sacrilegium est. » Theophylactus dicit Christum appellasse templum speluncam latronum, quia emptoribus et venditoribus

undique est refertum: « Avaritia enim et lucri cupiditas, latronum moribus est. » Sacerdotes illius temporis, cultum Dei nequidquam respiciebant, aut curabant, sed solum interesse et lucrum suum querebant; idem quoque fit a majori parte Ecclesiasticorum, qui ad parochiarum præbendas, canonicatus aut episcopatus non aspirant, ut Deo inserviant, aut pro animarum salute curam gerant, sed ut honores et dignitates sibi adsciscant, bona fortunæ adaugeant et deliciis, vitæque aliis commoditatibus vacare possint. Lyranus considerat, quod capita banditorum, dum pauperes juxta speluncas et latibula sua transire sciunt, ad eosdem despoliandos, ministros suos emittere in tales soleant, neque in propria persona in publicum prodeant, nisi dum optimam quandam prædam in via expectari noverunt: « Sic multi canonici, quando sciunt a magnum lucrum temporale, currunt ad Ecclesiam. Sed quando modicum est lucrum, remanent in domibus et recreationibus suis et ad Ecclesiam mittunt clericos suos. »

4. — Publici viarum depredatores in speluncis, cavernis seu latibulis suis sese reconant, ne videantur, ut sic tempore opportuno, ex improvviso ad inferendam viatoribus necem, eosque despoliandos erumpere possint: « Ita sacerdotes in templo Dei, » inquit Salmeron, « et sub prætextu divini cultus venabantur homines ad prædam et ut latronem occultat spelunca obscuritas, ita hypocrisis et species cultus Dei avaros istos, ne agnoscantur. » In Jeremia, vii, 2, scribitur: *Namquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris?* In quoniam vero allusio isthæc consistat, per verba subsequenter declarat, dum Deus ait: *Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus; nihil enim eorum coram Dei oculis occultari potest.*

5. — Theophylactus pro templum, animam nostram intelligens, pulchre, quando illa a nobis in speluncam transmutetur hisce verbis declarat: « Vide autem et tu, ne forte templum Dei per cogitationem tuam, facias speluncam latronum, » demoniorum. Fit autem spelunca, si habuerimus a cogitationes carnalibus rebus amicas, vendentes, et ementes, et lucri cupidas. »

6. — S. Hieronymus dicit, quod, sicut in speluncis rapinæ latronum coarcevantur: « Ita Ecclesia Dei vertitur in speluncam, quando furia, homicidia, adulteria, perjuria, sacrilegium, hæreses et alia scelera versantur in ea. » Similiter sicut in illis speluncis nulla alia tractantur consilia aut studia, quam de enormibus committendis excessibus; ita quoque sepe numero in locis sacris, nulla alia de re sermo habetur, quam de obscuritatibus, detractionibus, commercis impuritatibus et de cunctis aliis vitis similibus.

VERSUS 14.

Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo et sanavit eos.

1. — Hi cæci et claudi, utique orationis faciendæ causa, in templo aderant. Ecce tibi qualiter nunquam aliquis in templo infructuose adsit, dum sit divino cultui vere intentus. Porro Salvator noster, ut Jansenius scribit, suam nobis divinitatem declarare, simulque ostendere voluit, illas, a populo factas acclamationes, quibus eum verum Messiam esse protestati fuerant, veras esse, eo quod vere in ipso adimpletum videatur illud Isaia, xxxv, 4, pariter et Zachariae oraculum: « Ad gaudium invitatio ob adventum novi regis et signa adventus » adjungit, dicens: *Disite pusillanimes, consolamini, nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse venit et salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum; tunc saliet sicut cervus, claudus. »*

2. — Hugo Cardinalis, verba illa Christi ex S. Joanne, ix, 39, adducit, quibus ait: *In judicium ego veni in mundum, ut, qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant;* citatque pariter illud Isaia, xlii, 19: *Quis cæcus, nisi servus meus;* etenim multi ex illo populo, qui cæci erant, illuminati fuerunt, adeo ut ipsum, verum in lege promissum Messiam esse agnoscerent et tamen quia eidem accepto lumini fidei et notitiæ veri Messie minime cooperantes, se permisissent seduci, ideo eadem septimana, qua illi tanquam vero Dei Filio acclamaverant, simul etiam vociferati sunt, dicentes: *Tolle, tolle, crucifige eum. Non hunc, sed Barrabam.*

3. — Theophylactus per eos qui a Christo e templo expulsi fuerunt, Judæos a Deo reprobatos, et foras extra templum eiecit; per cæcos vero et claudos, in templo sanatos, gentiles ad fidem conversos intelligit: « Ejectis Judæis, qui legi et maculationi animalium adducti erant, cæci et claudi ex gentilibus assumpti, sanati fuerunt ab eo. » Hos namque gentiles et idololatras magnus Propheta Elias claudos appellavit, dicens: *Usquequo claudicatis in duas partes?* III Reg., xviii, 31.

4. — Origenes dicit, quod in templo Dei non omnes videant, nec omnes recto et sano gressu videant, sed illi dumtaxat qui intelligunt: « Quia nullus est opus, nisi Christi, ut intelligant; » qui idem quoque modum ostendit, quo hanc salutem accipiunt, dum ait id eos consentios fuisse, « accedentes ad verbum Dei. »

5. — Per hos cæcos et claudos, ex mente Glossæ, peccatores intelliguntur; dicit enim: « Prius cæcos in cognitione et claudos in operatione illuminando, et in viam rectitudinis dirigendo, quotidie sanat. »

6. — S. Thomas locum, in quo cæci et claudi sanati fuerunt observat, dum ait: « Accedunt ad

Christum in templum, et sanat eos, et congruit huic facto locus, per quod significatur, quod morbi spirituales non curantur, nisi in Ecclesia. » S. Remigius quasi idem his verbis scribit: « Significat, quod homines non nisi in Ecclesia sanari possunt; cui data est potestas ligandi atque solvendi. »

7. — Auctor Imperfecti, Hom. xviii, quisnam horum miraculorum finis fuerit, ita declarat: « Ut quod illi verbis clamabant iste factis ostenderet, quasi testis vocis eorum sanavit eos; » demum vero idem Auctor pergit ostendere, quod miseris hisce hominibus visum restituendo, multos alios in anima illuminare intenderit: « Ut cæci videntes cæcos aspicientes, viderent et ipsi, ut istorum illuminatio corporalis fieret illis spiritualis lucerna cordis, curavit et claudos, ut claudicantes Judæi in fide currerent ad Christum, ut meliores pedes illi reciperent videntes quam isti. » Non illi sufficiebat, quod linguis et vocibus barbarum illarum Jesus acclamatus fuisset, nisi etiam se vere talem esse probaret per effectus, seque beneficium erga illos vel maxime exhiberet, qui has ei acclamationes fecerant, idque non solum, ut erga illos gratus esset, verum etiam ut hanc nobis salutarem doctrinam imprimeret, quod scilicet ad hoc, ut Christiani nominis characterem digne portemus, non solo nomine contenti esse debeamus, sed curandum nobis sit, ut operibus, eidem nomini conformibus, respondeamus.

VERSUS 15.

Videntes autem Principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei.

1. — Luctabatur in hisce Principibus sacerdotum et Scribis, contra Christum, invidia pariter et avaritia. Theophylactus enim ait: « Dissecabantur invidia, » Albertus Magnus quoque dicit: « Nequam oculis, qui de bono vulnerantur; » etenim magnificentem illum triumphum et acclamationes barbarum, nec non universæ civitatis commotionem sufferre nequaquam poterant, que quidem invidia licet tanto in iis magis angebatur, quanto frequentiora ab eo patrari miracula conspiciant, quibus impressum turbis, de sua divinitate conceptum, magnopere confirmat. Lyranus illos odium et rancorem contra Christum concepisce dicit: « Propter hoc, quod manifeste reprehendebat avaritiam et alia eorum vitia, et videntes miracula quæ fecit, infirmos sanando, et pueros clamantes Hosanna, ipsum scilicet esse Christum verum, indignati sunt. » S. Lucas, xix, 47, hanc ipsorum iram, eoque prorupisse dicit ut: *Quærebant illum*

perdere; et non inveniebant, quid facerent illi. Quod idem et S. Marcus, xi, 16, scribit: *Quærebant quomodo eum perderent, timebant enim eum quoniam universa turba admirabatur super doctrinam ejus.* Salmeron aliam adducit hujus iræ et invidiæ rationem, dum idem hanc erga Christum concepisce dicit, quia ipsos in vivam usque carnem pupigisse videbatur eo, quod lucra ipsorum impediisset: « Viderant, quam sæpe ipsorum avaritiam oburgaverat, ut non solum ementes et vendentes e templo eieceret, sed ipsos accusaret blasphemie vel idolatriæ, quia ex domo orationis, domum fecerant negotiationis, vel quod pejus est, speluncam latronum. »

VERSUS 16.

Audis, quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium profertur laudem.

Audis, quid isti dicunt?

1. — Malevoli nihil prorsus invenire poterant, quod accusarent, neque miracula ab ipso patrata impugnare audebant, utpote quæ nimis manifeste et patenter vera erant. « Ideo arguunt eum de applausu populi, » inquit Lyranus, « quem sustinebat circa se et dixerunt ei: *Audis, quid isti dicunt?* Quasi dicat: Si tu osses justus et bonus, non sustineres talem applausum populi. » S. Thomas sacerdotum mentem hisce verbis exponit: « Non est justum quod homo purus sustineat laudari ut Deus; » ut patet ex eo quod in Actibus Apostolorum Herodi accidisse refertur qui, quia sibi in eo mire complacuit, quod se tanquam Deum declamari audiebat a populo, dicente: *Dei vocis et non hominum,* ab Angelo percussus et consumptus a verbibus misere expiravit. « In quo datur nobis exemplum, quod, si laudamur supra nos, quod non debemus sustinere, sed ipse, id est, Christus, non poterat laudari supra se, quia Deus erat. » Et ideo acclamationes illi factæ merito ipsius superiores non erant, sed correspondebant veritati.

2. — Auctor Imperfecti, Hom. xxviii, Christum malignis et incredulis Principibus sacerdotum et Scribis respondere hunc in modum potuisse dicit: « Et vos videtis, que ego facio? Illos loquentes attenditis, et me facientem non consideratis, ego enim factis interpretor voces illorum. » Et ideo nisi invidia mentis discretionem et iudicium ipsorum penitus obfusando, labefactasset, turbam veritatem acclamare et dicere, utique potuissent intelligere, maxime quando ipsum, vocem turbæ per miracula authenticantem, quotidie videbant. Chrysostomus quoque, Hom. lxxviii in Matth., Christum illis hoc modo replicare potuisse dicit, quando in ipsius laudem voces undequaque resonare audie-

hantur : « Non auditis, quid isti dicunt? illi tanquam « Deo canebant. »

3. — Cajetanus horum invidorum detestatur odium, quod manifeste produnt, dum non solum devotis hinc turbis, post visa miracula, quæ divinitatis Christi testimonium perhibebant, ad promendas ipsi tanquam vero Messiae laudes se non conjungunt, « sed indignantur etiam, impolentes « occultare venenum internum; » hoc enim venenum, in hac ei impacta injuria, satis manifeste prodiderunt, qua cum hasce voces et acclamationes : *Hosanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini;* admittentem, velut superbum et præsumptuosum calumniabantur.

4. — Considerat Salmeron, tom. VI, fr. vi, hanc interrogationem fraudulentam fuisse, eoque fine et intentione factam, prout alias fieri consueverant; scilicet : *Ut caperent eum in sermone.* Si enim Christus respondisset, jure merito sibi, tanquam hæredi et successori soli Davidici, titulum et nomen Regis competere, mox utique ansam arripissent accusandi eum, velut læsæ majestatis reum, apud Judææ præsidem. Si vero publico encomia hujusmodi rejecisset, seque laudibus illis indignum esse, palam protestatus fuisset; iterum suum se intentum consecuturos sperabant, nimirum quod tali nixi fundamento, facile persuasuri essent populo, eum non esse talem quem ipsi credebant et applaudebant, utpote qui ore proprio, has sibi laudes indebitas esse profiteretur; sed increata Sapientia mirabili cum dexteritate hosce insidiarum laqueos disceperit et prudenti responsione et prophætico oraculo desumpta declinavit.

5. — S. Hieronymus ex hac, quantumvis contumeliosa, horum sacerdotum scribarumque reprehensione, sequentem elicit moralitatem, in hæc verba : « Hosanna filio David, vertunt in calumniam, « quod videlicet hoc non dicatur, nisi soli Filio Dei. « Videant ergo Episcopi, et quantumlibet sancti « homines, cum quanto periculo dici ista sibi « patiantur, si Domino, cui vere hoc dicebatur, « quia nequum erat solida credentium fides, pro « crimine impingitur. »

Jesus autem dixit illis : Utique nunquam legis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?

6. — Explanat S. Thomas, in *Matth.*, docte simul et breviter, perversam horum obloquentium intentionem, dum ait : « Dominus valde sapienter res- « pondet. » Maltiosi equidem sacerdotes et scribæ tale secum formaverant argumentum; vel enim in hasce populi et puerorum festivas acclamationes consentiet; et ecce intentum nostrum. Vel iis contradicet; tunc vero justam utique causam habebimus accusandi eum. « Sed Dominus ita sapienter « respondet, quod nec pueros reprobat, nec ipsi

« habent unde calumniari possent. » Unde infal- « libile patet esse Sapientis, *Prov.*, xxi, 10, axioma, « dicentis : *Non est Sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Similem huic super eadem verba doctrinam tradit S. Hieronymus, *ibid.*, inquit : « Responsio utrique urgens et « calumnie non patens. » Non enim juxta malevol- « lorum mentem respondit Dominus : « Bene faciunt « pueri ut mihi testimonium perhibeant. Nec rur- « sus : Errant, pueri sunt, debetis etati ignoscere; « sed profert exemplum de *Psalmo vii, 3, ut tacente « Domino, Scripturarum testimonium puerorum dicta « firmaret. »*

7. — Stupet eandem hanc Christi in respon- « dendo prudentiam Cajetanus; unde illam nominat « prudentem et consequitivam responsonem. » Non enim harum acclamationum causam aut pueritii ignorantie, aut humanæ ascribebat industrie, tanquam auctrici earum, monstrando causam puerilis dicti, non esse hominem aliquem procurantem aut excitantem, sed Deum impletem antiquas prophe- « tias sic.

8. — Salmeron, tom. VI, tract. xlix, verba illa tacitum quoddam in se improprium continere credit, quod sacerdotibus et scribis illis ignorantiam et negligentiam ipsorum exprobraret : « *Utique nun- « quam legis,* etc., quasi dicat : Ignominia est « sacerdoti, nunquam legisse, vel legisse nec in- « tollexisse. » Quot enim sunt sacerdotes, quorum imperitia tanta est, ut a pauperis vetulis et pueris erudiri possent? Quot sunt, qui scientia Scripturarum, sacrorum canonum, theologie moralis, rituum et ceremoniarum sacrarum, enec- « torumque aliorum, ad ipsorum ministerium spec- « tantium, prorsus expertes existunt? Et tamen Scriptura, *Malac.*, ii, 7, de ipsis dicit : *Labia sacer- « dotis custodient scientiam, et legem exquirent ex ore « ejus.*

9. — Janenius dicit sapientissimum Magistrum sacerdotes et legis Doctores, per hæc verba confun- « dere voluisse : « Fecit ad confusionem Phariseo- « rum, quod pueri Christum agnoverint, quem nata « grandes, et oraculorum legis ac prophetarum « periti etiam post tot conspecta miracula agnos- « cere noluerunt; » ipsis namque indicare volebant quod inexcusabiles essent, nec se aliquam sui notiam habuisse dissimulare minime possent.

10. — Porro verba illa : *Perfecisti laudem,* specialiter hic ponderari merentur. Et quidem S. Thomas circa illa, sequens movet dubium, quoniam modo scilicet hi pueri, infantes dici poterint, cum infantes ob nimis teneram ætatem vocem articulare nequaquam possint, quomodo igitur eis laudem perficere poterant? Et respondet : « Dico quod non « dicuntur infantes, propter ætatem, sed propter « simplicitatem, quia a malitia sunt immunes; » hoc tamen non obstante, dici etiam posse videtur,

quod suas quoque ætate in inproportionata voces articularint, siquidem non solum dicitur : *Ex ore infantium,* sed insuper additur, et *lactentium.* Idque dici potest factum fuisse per miraculum, ut tanto magis Scribarum, invidorumque et malignorum Sacerdotum confunderetur silentium.

11. — Glossa Interlinearis dicit : « Perfectio « laudis est fieri ab indoctis, in quibus sola veritas « operatur, non ingenium hominis. » Et ideo infantulis parvulorum ætas, eorumdemque ignorantia, ad laudem illam perfectiorem reddendam concurrerant. Theophylactus ait : « Significat, per- « feclam et absolutam ostendisti laudem, etiamsi « illi propter ætatem imperfecti et viles esse videan- « tur, non enim illi dicebant, quæ dicebant, sed os « solommodo accommodantes, spiritus organa fue- « runt; et ideo dixit : *Ex ore infantium,* inuenens, « quod ea verba non ab illorum mente procederent, « sed quod os suum divina gratia movebatur. » Eandem quoque opinionem in S. Thoma expressam hinc verbis invenio : « Quod tales pueri « laudant Deum, hoc est, ex divina inspiratione, « quia *Dei perfecta sunt opera.* *Deuter.*, xxxii, 4, « Unde non ex industria, sed a Spiritu Sancto, « *Sap.*, x, 21 : *Qui linguas infantium facit disser- « tas. »*

12. — S. Hilarius, in *Matth.*, notat, quod cum sapientium et prudentium hujus mundi lingue mutæ factæ sint, sint aperta simplicium ora : « Ces- « santibus prudentium judicis, hanc sibi a pueris « atque infantibus, quorum sit regnum cælorum, « confessionis gloriam preparatam, quia prudentes « et Principes sæculi, sapientiam Dei reprobarerint, « Christum autem regenerationis parvuli, lacten- « tesque sint prædicaturi. » Infantes supra ætatem et capacitatem ipsorum, inquit Chrysostomus, *Hom. XLVIII in Matth.*, laudant Filium Dei, eique acclamant : « Fausta et rebus supernis convenientia « decantabant, viri autem furiosi loquebantur. » Hic igitur admiranda est Salvatoris nostri benignitas et mansuetudo, qui maxima cum prudentia verba subjungere noluit, quæ immediate sequebantur, ne malignorum hominum illorum animos magis exasperarent. Fuitque hæc consideratio Alberti Magni, dicentis : « Notanda est mirabilis modestia Christi, « quia hoc, quod Propheta addidit, siluit, ne inimi- « cum provocaret : *Propter inimicos tuos, ut destruas « inimicum et ultorem.* » Fuitque hæc nobis specialis doctrina, erudiens nos quoad charitatem proximis nostris exhibendam, ut scilicet, quando in ipsorum peccatoribus, ire ignem contra nos accensum esse videmus, eundem mihi, humili et modesto responso restringere satagamus. Unde Auctor Imperfecti, super hoc Evangelium scribens, *Hom. xxxviii,* dicit, Christum abiisse : « Ut recedendo composescet, « quos respondendo non potuit, quia malitia non « composescit sermonibus, sed excitatur, malum

« enim hominem melius, locum dando, potes vin- « cere, quam respondendo. »

VERSUS 17.

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem.

1. — S. Thomas, in *Matth.*, ait : « Derelictio illa « fuit signum, quod ipsi dereliquerunt eum. » Christus enim hunc populum peculiariter sibi dilectum et electum, tantisque divinæ liberalitatis suæ muneribus per tot sæcula amulatum, in tantum dereliquit, in quantum idem prius ipsum abiecit et deseruit.

2. — Unde concilium Tridentinum, sess. VI, cap. xi, hanc formavit conclusionem : « Nunquam Deus « deserit hominem, nisi prius ab homine desera- « tur. » Albertus Magnus ait : « Abiit, non tam « presentia quam gratiæ subtractione, synagogam « relinquens : *Eccc relinquetur vobis domus vestra « deserta.* » Unde Deus ipse apud Ieremiam, li, 9, dicit : *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.* Verum quidem est, quod urbs illa, a qua recessit, Jerosolyma fuerit; altamæ hæc Jerosolyma, adversus ipsam, vera quedam Baby- « lonia facta fuit; quantumcumque enim modis ipse eadem fidei lumen et sui ac Dei notitiam communi- « care voluit, semper tamen irrito, cassoque conatu id ab eo factum fuit. « Abiit, » inquit Lyranus, « illis « excæcatis per invidiam. » Quid vero demum miserabili huic populo accidit, postquam a Deo derelictus fuit? *Deus dereliquit eum : comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* *Psal. lxx, 11.* Etenim in captivitatem deductus, et populorum omnium totius terræ servus et mancipium factus fuit, nec habuit qui se protegeret, aut defenderet.

3. — Admiranda profecto circumspectio et providentia Salvatoris, qui nulli, ex populo illo, aut civitate ista, documentum aliquod afferre voluit. Unde Cajetanus ait : « Noluit tunc hospitari in « Jerusalem, ne redderet hospitem suspectum, tan- « quam conscium tante novitatis, quia Jesus accla- « matus est Rex; » cum enim tanquam læsæ majestatis reus, post illam acclamationem, accusari facillime posset, ideo hospitem suum tanquam ejusdem criminis complicem, simili aliqua injuria affici volebat. Unde Salmeron ait : « Sic fortassis erat, « qui ipsum susceperet, volebat Jesus alicui periculo « esse. »

4. — Dionysius vero Carthusianus, ideo Christum Jerosolyma abiisse censet, quia omnes, quotquot Jerosolymis erant, magis angebantur, pro conser- « vando Principum synagoga, Sacerdotum et Phari- « sæorum favore, gratia et amicitia, quam ut erga Christum gratitudinis legi, quia obstringebantur,

satisfacerent. « Probabile est, quod nullus in Jeru-
« salem audebat eum recipere hospitio, propter
« metum Pontificum et conspirationem Scriba-
« rum. » Quotidiana etenim experientia demon-
« strat, quod Deus in potiori hominum parte locum
« habere nequeat, solum propter respectum et inter-
« resse humanum.

5. — S. Anselmus ait : « Nota, quod Christus
« pauper venit, nulli unquam adulatus, nullum
« invenit hospitem in urbe. » Unde S. Marcus, xi, 11,
« scribit : « Circumspectis omnibus, cum jam vespera
« esset hora, exiit in Bethaniam. » Ecce tibi, ubinam
« triumphus illius pompa tandem desierit, ex toto illo
« innumerabili populo, qui illum adeo concorditer,
« veluti verum Messiam et filium David præconiza-
« verat, ne vel unum invenit, qui fami ipsius aliquod
« subsidium ferret, vel qui sub tectum suum ipsum
« receptaret; et tamen adeo tunc famelicus erat, ut
« diluculo sequenti, dum ad arborem ficus accedens,
« nullus in ea fructus reperisset, eidem protinus
« maledixerit. Optime igitur Jansenius hic ait : « Ut
« irriteret hujus mundi gloriam, ostenderetque,
« quod sit inanis et infida, cum tantos applausus,
« tantasque honorificas acclamationes, ac tantum
« populi studium secuta sit crux. »

6. — Nulla hoc loco circumstantia suo caret
« mysterio : *Foras*, inquit Evangelista, *extra civita-*
« *tem*. Lucas Brugensis ait : « Ut omnem occasionem
« auferret adversariis suis, cogitandi et suspicandi

« ipsum tanto plausu exceptum, Regemque a mul-
« titudine declaratum, velle moliri aliquid noctu
« agere, de occupanda urbe, vel regno terreno
« ineundo. »

In Bethaniam, ibique mansit.

7. — S. Anselmus ait : « Apud Lazarum, soro-
« resque ejus exceptus est hospitio, in quodam
« oppidulo. » S. Hieronymus ait : « In agro par-
« vulo. » Ecce tibi quoniam Dominus noster, post
« totius illius amplissimæ civitatis triumphum et
« applausus?

8. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxxviii*, ideo
« Christum Jerosolymæ tergum veritatis existimat,
« quia inferendæ sibi necis conjurationem, adversus
« se machinandam præviderat, ideoque hospitium
« suum in Bethania, apud duas illas sanctissimas
« sorores, accipere voluit : « Ut illic requiesceret
« corporaliter, ubi et spiritualiter repausabat; nam
« sanctorum virorum est, non ibi querere man-
« sionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideiores;
« nec gaudent, ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanc-
« titas floret. »

9. — S. Thomas in sensu mystico exponit,
« dicens : « Transit in Bethaniam, in domum obe-
« dientiæ, ibi enim moratur Jesus. *Et mansit ibi,*
« quia in obedientibus sibi manet. Unde, *Joan.*, xiv,
« 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*
« *et sequitur : Et mansionem apud eum faciemus. »*

FERIA QUARTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XII, VERS. 38

38. Responderunt ei quidam de Scribis et Phariseis, dicentes : Magister volumus a te signum videre.

39. Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum querit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terre tribus diebus et tribus noctibus.

41. Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic.

42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terre, audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.

43. Cum autem immandus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit.

44. Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi, et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam.

45. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus; sic erit et generatio huic pessimæ.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quaerentes loqui ei.

47. Dicit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

VERSUS 38.

Magister, volumus a te signum videre.

Magister.

1. — « Magister dicitur, tentando, » inquit S. Thomas; *Ps. xxxiii*, 3 : *Loquuntur pacem in ore suo, mala autem in cordibus eorum.* Cui Angelici Doctoris opinioni S. Paschasius perfecte concordat, neque enim ipsum Deum, sed vulgarem hominem, sicut nos sumus, esse credebant. Ideo adulatorie magis et fraude, quam ex fide vel religione eum magistrum vocant. Et quidem consideratio isthæ ex Chrysostomo desumpta est qui in expositione hujus verbi, *Hom. xlv in Matth.*, ita scribit : « Verba « considera, quomodo adulatione ac derisione plena « sunt, putabant enim essentia in eum ipsum ali-
« cere, qui modo adulantur, modo conviciantur, « modo daemoniacum, modo Magistrum appellant. »

2. — Lucae, *cap. xi*, ubi major hujus Evangelii pars describitur, illos qui Christum, quod in virtute Beelzebub daemonia eieceret, calumniabantur, manifeste ab eo confutatos et confusos fuisse legimus; qui proinde cautiore facti, hoc Magistri nomine, Salvatorem compellant, quasi ab eo edoceri vellont, simulantes. Unde Abulensis ait : « Timentes duram « Christi increpationem, nam socii eorum, qui « dixerunt : *In Beelzebub eiecit daemonia*, fuerant « nimis increpati; blandius ergo isti loquuntur ut « non esset ita Christo occasio eos arguendi. »

Volumus.

3. — Dionysius Carthusianus hoc verbum ponderans, dicit : « Quod dicunt, *Magister*, ad humili-
« tatem pertinere videtur, quod vero adjiciunt, « *volumus*, superbiam sonat. »

4. — Petitio isthæ, illi Christi doctrinæ adversari videtur, quæ in oratione Dominica sive quotidiana nobis præseribitur, dum in ea a Deo Patre orare jubemur, ut non nostra, sed ipsius voluntas fiat : *Fiat voluntas tua, sicut in celo et in terra.* Quam porro doctrinam ipsemet quoque executus fuit, dum, *Matth.*, xxvi, 39, ait : *Non sicut ego volo, sed sicut tu; descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam.* Eusebius Emisenus, *Hom. in hac fer.*, ait : « Non rogant neque postulant, sed indato « stomacho ac erecta cervice dicunt : *Volumus.* » Unde superbiam et animi sui elationem non occul-

tant, sed propalant. Enimvero voluntas propria in sacra Scriptura semper condemnatur. Legitur, *Ecclesi.*, xviii, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas et a voluntate tua avertere, si præstes animæ tuæ concupiscentia ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Proprium hoc est impiorum idioma, sive modus loquendi, quo dicunt : *Volumus.* Unde levilica saltatrix illa caput S. Joannis hisce verbis proponit : *Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis.* Paulus de Palatio ait : « O si nunquam hæc vox « *volumus* a nobis prodiret! O si nunquam voluntas « nostra, nostra esset! O si solum vellemus, quod « Deus vellet. Hæc nostra voluntas est, quæ nos in « infernum præcipitat. Quis ferat, servum eorum « Domino dicere : *Volo?* » Quotiescumque Dei voluntatem adimplemus, tunc securi esse possumus, quod voluntas nostra adimpleatur; siquidem a Spiritu Sancto dictata veritas est, quæ dicitur, *Ps. xlvii*, 19, quod Deus noster voluntatem timentium se faciet.

A te signum videre.

5. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxx*, in persona Christi interrogat : « Signum vultis videre? » quasi Dominus noster diceret : Ubinam eratis, quando o spiritus infernales a me non virga aut ferala, sed voce mea castigati, vociferabantur, dicentes : *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Scimus te, quia es Filius Dei.* Demones igitur, miraculis meis visis, steterunt attoniti, vos autem illa ne quidem aspicere dignamini? Ubinam eratis, quando caeci lumen sibi oculorum a me restitui postulabant? « Caeci, me non videntes, viderunt et « vos videntes, me non vidistis? » Ad quas questioneres responderi potest, quod tametsi improbi homines isti multa a Christo patrata prodigia viderint, hoc tamen fuerit perversorum illorum supplicium : *Ut videntes non videant.* Enimvero sol, quantum est ex parte sua, nos illuminat, si vero nulla ab ipso luce collustremur, non est ejus defectus, sed id ab indispositione nostra procedit, qui ipsius lucem subterfigimus, et ideo, sicut depravatus stomachus cibos, etiam delicatissimos et saluberrimos, in malos humores convertit; ita quoque sacrosancta Salvaloris nostri opera et miracula, pharisaicam magis magisque accendebant invidiam, eamque adversum se longe semper ferventius irritabant.

6. — Apud S. Lucam, xi, 13, Christi miracula magis attribuebant, dicentes : *In Beelzebub principe*